



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

Deus optimus, servasse Ludovico magno; ut quod avus ejus Henricus magnus, tantoperè optabat, & ejusdem Pater Ludovicus Justus armis suis vitricibus inchoavit; ipse novo armorum genere, sine sanguinis effusione, pacificè, sapientiâ suâ, & fortissimâ mansuetudine perficeret. Igitur Deo optimo maximo auxiliatore, & Rege Ludovico XIV. regnante, sperandum est, brevi, in toto Regis Christianissimi Regno, unicum ovile futurum, sub unico Pastore, Christi Vicario Romano Pontifice. Exaudiat Deus misericors suorum vota!

V.

**S**Ancti Ludovici gloriosissimis hæredibus, & æmulis, adjungo alios Reges Catholicos, ac Principes sanctitate, quàm sceptro clariores: qui spretis mundi illecebris, & divitiis, uni Regi Regum Christo placere, & ejus fidem propagare studuerunt. Valde notandum est, quod ex Regibus populi Hæbreorum, ex Regibus Juda, præter Davidem, Ezechiam, & Josiam, omnes mali fuerint, & inter Reges Israël quippè schismaticos & à



Capite separatos nullus probus.

Sola Anglia, Catholica, plures Reges, Reginas & Principes, sanctitate illustres numerat, quàm omnes tribus populi Judaïci: sed ab eo tempore, quo florentissimum illud regnum, tot Sanctorum Seminarium fecundissimum, à Romanâ Ecclesiâ, per hæreticam pravitatem, separatum est, ne unum habet sanctum Confessorem; quæ multos fecit SS. Martyres avitæ fidei propugnatores: utinam meritis & intercessione Sanctorum Regum, Eduardi Martyris, Eduardi Confessoris, aliorumque Sanctorum, qui agrum illum Domini, sanguine, lacrymis, sudoribus, Apostolicis laboribus, ac omnibus Christianis virtutibus, ab initio excoluerunt, sub moderno Rege Jacobo Secundo, Catholico, Casto, Pio, Pacifico, bonis omnibus dilectissimo, & pientissimâ Reginâ Mariâ Eleonorâ Estensi, ejus Conjuge; Sancto Gregorio magno, Anglorum Apostolo intercessore, redeant tandem, ad finem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut boni filii, ad optimam matrem



fuam: ut vera Anglorum conversio;  
 fit nova Angelorum Sanctorum in Cœ-  
 lis, exultatio. His fidelium votis an-  
 nuat Deus optimus!

Habent & alia regna, Christo subdita,  
 suos SS. Reges & Principes, Hungaria  
 S. Regem Stephanum, & Sanctum  
 Emericum ejus filium. Bohemia San-  
 ctum Regem, & Martyrem Wence-  
 slaum. Dania Catholica Sanctum Ca-  
 nutum Regem & Martyrem. Polonia  
 Sanctum Casimirum Angelum incar-  
 natum. Hispania Sanctum Hermene-  
 gildum Martyrem, & Sanctum Fer-  
 dinandum Regem Castiliæ; quorum  
 nomina perfecta sunt elogia. Hi omnes  
 testimonio fidei Orthodoxæ probati,  
 fideles inventi sunt, quia Deo, uni,  
 trino, Christo Regi Regum, ejus  
 Ecclesiæ Sanctæ, & fidelium saluti  
 servierunt, in iis quæ non possunt fa-  
 cere, nisi Reges Catholici, Justi, Pii,  
 quorum memoria in benedictione est  
 apud omnes homines: sicut ipsi gloriâ,  
 & honore coronati sunt, ab omnium  
 Sanctorum Remuneratore magnifi-  
 centissimo, Deo, uno, trino.